

seres asse veneunt ? et unus ex illis non cadet in laqueum sine Patre vestro qui in cœlis est. Vestri autem capilli capitisi omnes numerati sunt. Quid enim vilius illis ? inquit : attamen nunquam, Deo ignorante, capientur. Non enim operante Deo cadere dicit : id enim indignum Deo esset ; sed nihil gestorum illum latere. Si ergo nihil eorum quæ accidunt ignorat, vosque sincerius quam pater amat, atque ita amat ut etiam capillos vestros numerarit, nihil utique timendum.

R. Sancti mihi, qui in carne positi, certamen habuistis : \* Mercedem laboris ego

reddam vobis. v. Venite benedicti Patris mei, percipite regnum. Mercedem. Gloria. Mercedem.

LECTIO IX.

Hoc vero dixit, non quod Deus capillos numeret, sed ut accuratam notitiam magnamque circa eos providentiam ostendat. Si ergo omnia quæ fiunt novit, si vult nos salvos facere, et id potest, si quid patiamini, ne credite vos derelictos illa pati. Non enim vult vos a malis eripere, sed suadere ut mala contemnatis : nam haec vere liberatio est a malis.

Te Deum laudamus.

Concordat cum originali a S. R. C. approbato.

*Imprimatur :*

† EDUARDUS CAR. Arch. Marianopolitanus.

Marianopoli, die 6 decembris 1892.